FÆDUS
Laureati Triumphi,

Post peractum in Arena Literaria certamen
Inter VII. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatos,
Dum
In Alma Universitate Cracoviensi
PER
CLARISSIMUM AC EXCELLENTISSIMUM D.
M. ANTONIUM NICOLAUM
KRZĄNOWSKI,
Philosophiæ DOCTOREM, Collegam Minorem, Ordinarium Astronomiæ PROFESSOREM, GEOMETRAM Iuratum, ac protunc Philosophicæ Facultatis DECANUM,
In Amplissima Nobilissimorum Hospitum Præsentia
Artium Liberalium & Philosophiæ Baccalaurei
Ritu Solenni crearentur;

PROPOSITUM;

In vim Fraterni affectûs, & gratulatorij plausûs
PER
ANTONIUM STANISLAUM
DE GRUSZOW
CZARNEK
Ejusdem Laureæ Candidatum
Carmine Poëtico

EXPLICATUM.

Annô Domini 1735. *Die 5ta Mensis Novembris.*

CRACOVIÆ TYPIS UNIVERSITATIS.

IN GENTILITIUM STEMMA
PERVETUSTÆ DOMUS
RUSOCCIORUM.



Ite procul tenebræ, procul atræ cedite noctes;
Dum ſerit in mundum lumina tanta LEO.
Hic quòcunque ſui flammantia dirigit ora,
Luce nitent multò candidiore dies.

PERILLUSTRI ET MAGNIFICO DOMINO,

D. STANISLAO
DE BRZEZIE
RUSSOCKI,

Colonello Exercitûs Serenissimæ Reipublicæ,

Domino Mecænati Colendissimo.

AD virentia Domesticæ gloriæ Tuæ trophæa Laureatos triumphos Nostros juncto fædere deferimus, ut ab illis eminentiores redeant. Perillustris & Magnifice Domine. Illis enim solis proprium est ornare Patriam & Ecclesiam, decorare Senatum & altaria, illustrare Curules & aras, pari utrasq; lumine & Majestate. Ornarunt in magnis aborigenibus Tuis Purpuras, & eminuerunt pulchriùs: decorârunt in Atavis sacros Civilesq; Fasces, & refulserunt honorificentiùs: illustrârunt in Majoribus victricia Gradivi signa, & resplenduerunt decentiùs; acsi toto in ea redundarent lumina fonte. Hinc est, quòd in Illustrissima Domo Tua maximi quantumvis tituli suos quærunt honores, suam poscant Insignia pompam, non aliter decora futura, nisi se ad plenitudinem Patriæ lucis Tuæ, quam LEO Gentilitius ore patulo refert, admoveant. Lux ista à Regnorum solibus derivata

 primùm

primùm in strenuissimis ZADORORVM *pectoribus, deinde in tot primæ magnitudinis sideribus, quot* RVSSOCCIIS, *magnis* Tibi *comparibus Majoribus emicuit, ac quâdam sui propagatione crevit in tantum; ut totus ab ea inclaresceret Septemtrio. Meridies tantorum splendorum primum sub* KRYVOVSTO REGE *sumpsit diluculum, nimirum ab illustribus dexterrimi* ZADORÆ *factis, qui è Britannia, Gallia, Flammivomum in Stemmate comitem sibi nactus* LEONEM, *feralem barbaris erroribus succendit pyram, fecitquè abhinc Lechiæ clarescere cunctos luce meliore dies. Experta est tales Patria sub* Illustrissimo *Sacrorum Antistite & Vratislaviæ dignissimo* PRÆSULE VALTERO ZADORA. *Experta sub* SBIGNEO PREDBORIO & PACOSLAO cordatissimis Domûs ZADORORVM *Proceribus, qui sicut ingentibus meritis repleverunt Patriam, sic maximis generosè partis triumphis* Tuum *magnificum coronarunt Nomen, ut vernare per sæcula posset. Vernavit (ut reverentè silentio colam alios) in Magnifico Domino* STANISLAO *de Brzezie* RVSSOCKI, Equite Polono *plurimarum olim Virtutum & meritorum Viro, digno inter suprema terrarum recenseri numina, dicique Patriæ Pater, consilio & ope valens, nisi obsequijs ejus immori, Sagôque ornari potiùs eligeret, quàm Togâ. Quis redivivi Martis istius magnanimos edisseret ausus? quis gloriosè obtentas numerabit Victorias? quis longo recensendas numerô, brevi carmine colliget Virtutes? Collegit has, imò unus omnes in se retinuit* Perillustris *olim &* Magnificus Dominus NICOLAVS RVSSOCKI Pater Tuus æstimatissimus; *in quo Animi fortitudinem, ingenij præstantiam, cordis innocentis candorem, sollicitam Boni communis curam, ferventemque pro Aris & focis zelum stupuerunt cuncti, celebrarunt singuli, laudarunt universi. Eminentiam Virtutis claritati generis anteponens, exclusit omnem ab animo fastum, à mente arrogantiam, à sermone dolum; unde hinc evenit, ut in omnium cor-*

dibus

dibus totus, totus habitaret in amore & non Civium tantùm, sed Principum, etiam & Regum. Singula Probi huius Sarmatici merita flores fuere rosei, & quanquam his Domum suam cumulatissimè ornâverit, adhuc tamen Gentilitias è Vireto SILNICCIORVM *ROSAS Connubiali cum* Magnifica CATHARINA SILNICKA Matre Tua Dignissima *pertraxit nexu, ut ornatiorem & majestuosiorem redderet. Et jam gratulari sibi nativi Penates Chloridem istam videntur, quòd fragrantibus ab ea redimiti foliis certare de cultu cum Superis possunt, atque Cælum versus frontes inferre roseas, quò altitudo generis & ferventissima illius in DEUM pietas nisu pertingit sollicito. Nectant se* CATHARINÆ *in Coronam sidera, quæ mente meditatur devotâ, ego in arcum triumphalem Magnis Heroibus* ANTONIO FRANCISCO IOANNI & NICOLAO RVSSOCCIIS Germanis Fratribus Tuis, *quos adorare parant triumphi & maximi præmiare honores, flexile inclino collum, dùm Tu mihi jam in paginam venis MECÆNAS GRATIOSISSIME tenuem pennam & genium in Tua trahens elogia. Quid enim in te singulari non dignum elogio? quid ampla non capax Panegyri? Majestas Tua & frontis gravitas, rebus in agendis prudentia & dexteritas, ingenij sublimitas & animi candor, calamos poscunt ut scribantur, & æternantibus consignentur literis. Mirata est in Te Heroicam à teneris indolem Pallas Jagellonica, & qualitatum Tuarum conscia jam tunc cùm chelym Parnassiam exercito pollice tangeres, cognovit, aptam tendendo arcui manum & membra accomoda bello. Et nec augurium istud fefellit, cùm Te fortissimum Hectorem, qui posthac Ecclesiam & Patriam tuereris, salutârunt castra, & cum gaudio Mars ipse recepit. Non invidemus hìc suos Thebis Epaminondas Romæq; Camillos, cùm Te Camillis omnibus potiorem veneratur Patria, Exercitus sui* Colonellum, *qui indomita pectoris fortitudine adversanti fortunæ obsisteres, ex-*

tremis

tremis ferens medicamina rebus. Quo fervore? aut quo zeli ardore hostiles turmas aggrederis? LEO Gentilitius indicat; cujus Tu fortitudinem imitatus, toto in prælia ferves spiritu, pulchram quærendo per vulnera mortem. Testes sunt magnanimitatis Tuæ tot relati ex hostibus triumphi, tot natæ è tumulis palmæ; testis, vocalissima in Orbe Operum Tuorum fama, quæ Magnitudinem meritorum Tuorum tubis sonantibus evulgando, præsentem pagellam pertraxit, & præconem gloriæ Tuæ fecit. Et cùm hîc altitudinem Nominis Tui attingere, vastitatem operum emetiri, colligatarum in partem Honoris Tui venientium Domorum splendores comprendere exilis nequit calamus, plantis se tantummodo Tuis venerabundus substernit, hæc exarans vota: ut Illustrissima Domus Tua *præter inextinctam* Gentilitij *LEONIS flammam indesinenti omnigenæ prosperitatis fulgeat serenô, fiatq; cujusvis in Orbe eminentiæ sublime fastigium & apex. Huc fasces, huc ostra ferat, tum cætera dona celsus honos, ut his MÆCENAS* Gratiosissime *felix & longævus præsis.* Ita precatur.

Perillustris & Magnificæ Dominationis Vestræ

Devinctissimus Cliens & humilis Servus

STANISLAVS ANTONIVS

De Grussow

C Z A R N E K,

AVTHOR OPERIS.

MAGNO LABORUM APPRETIATORI ET LAUREATORUM TRIUMPHORUM ASSERTORI.

D. JOANNI CANTIO,

Sacræ Theologiæ DOCTORI & PROFESSORI, Regni Poloniæ, & Vniversitatis Cracoviensis,

PATRONO,

Neocandidati

Hanc apponunt Epigraphen.

Tibi Fædus amoris.

AUgeat summos cupidus Favores
Orbis in plausus, favet arte cunctis
CANTIUS; tanto placeat Patrono
Plaudere semper.
Digne quo pridem solio Magister
Hocce, cælestem veniens in aulam
Ex loco, quo nos petimus JOANNES,
Gaudia sumis.
Es decus Cæli decus & Patronus
Singulæ Gentis, juvenum lucerna
Mentium, necnon Lechicæ serena
Gemma Coronæ.

Fædus & ſortem nimium beatam
Cum DEO jactans, locuplete reples
Gloriâ terras, bona dando, cunctos
Multa per annos.
Quisquis acclinat caput ad coronam,
Mente devotâ celer adſit ipſe
In tuas laudes, referet triumphos
Te Duce felix.
Quos coronârunt viridi labores
Fronde, quos Pallas bona præmiavit;
Addis his ingens pretium, decusq;
Dive JOANNES.
Umbra, ſudores, tenuis merentur,
Et vapor dici; tamen ignîs inſtar,
Iſta, Te lucis radios ſerente,
Umbra coruſcat.
Plaudimus magno Tibi Laurearum
Diſtributori, quia nî fuiſſes
Tu Dator, nunquam redimita ſertîs
Frons foret amplis.
Gratiam præſtes Columen clientum,
Ut procul quævis fugiant opertas
Laureîs frontes mala fata, noſtras
Protege partes.
Pandimus pectus, pariterq; colla
In pios proni ſinuamus arcus,
Ac in æternans anathema noſtra
Corda litamus.

Illustribus Clarissimis ac Excellentissimis Dominis,

DD. EXAMINATORIBUS,

Illustri Clarissimo ac Excellentissimo Domino,

D. M. ANTONIO KRZANOWSKI,

Philosophiæ DOCTORI, Collegæ Minori, Ordinario Astronomiæ PROFESSORI, GEOMETRÆ Iurato, ac protunc Philosophicæ Facultatis DECANO,

Illustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino,

D. M. FLORIANO LACHOWICZ,

Philosophiæ DOCTORI, & PROFESSORI, Collegæ Majori, Ecclesiæ Collegiatæ Sanctæ ANNÆ CANONICO.

Clarissimo & Excellentissimo Domino

D. M. FRANCISCO *de Paula* KIELAROWICZ,

Philosophiæ DOCTORI, in Collegio Minori Ordinario Pòëseos PROFESSORI.

In vim debitæ gratitudinis & venerationis

Eruunt Epigraphen.

Fœdus Obsequii.

PRæcelsa laus est conspicuum decus,
Formare plausus; gloria singula,
Vobis honorem connotare,
Symbola qui probitatis estis.
Semper favores innocui manent,
Erga Clientes; discipulos quoq;
Semper manetis gratiosi,
Cum veniat labor in triumphum.

De fronte digna gloria Palladi
A mente docta magna Studentibus,
Fortuna plaudit, quam litatis
Omnibus ingenijs solutis.
Estis polaris lumina sideris
In Orbe lucet fama beatior
Vestrûm, quibus suprema virtus
Dat jubar in Cathedris loquendi.
Mens alta vestrûm semper acumina
Format, peractæ cum Sapientibus
Lites disertæ ac eruditæ
Exhilarant recreantque.
In te supremus laudis apex manet,
Te gloriosus fonte scientiæ
Conspersit amnis; qui decenter
Murice purpureô rubescis.
KRANOWSKI. In artes evigilas Sophus
Assumis illas ut doceas; places
Hinc omnibus perfectione,
Exsuperans animô Platones.
Dum Tu peroras Mercurius tacet,
Collaudat Orbis, concitat Incolas;
Vt Te sciant dignum Magistrum
Gloria magna cui paranda est.
Verum Magistrum purpura nuntiat,
Virtute celsum facta notant; cui
Plausus sit à nobis honorq;
Perpetuô renovandus ævô.
En Musa plaudit carmine Præsidi,
Encomiorum format imagines
Non cessat à Metro Pöësis
Pingere dum nequeat colores
Relinquo plausus vota fero Tibi
Vt mille vivas sæcula candidus
Nestor sumpremum profuturis
In titulis capiens serenum.

Dum

Dum cerno dotes alterius Viri
Formare Laudes jam propero Sopho
Placere qui multis videtur
Multiplici capitis talent ô.
Iustè ſecundum conſpicimus Virum
Examinantem, magna cui parat
Virtus ſtupendum munus; hoc eſt
Dulce per omnia ſæcla Nomen.
Adeſt ſecundus doctus amabilis,
Perfectus, augens præmia gloriæ,
Colendus arte per labores
Continuus celeresq; partâ.
Es FLORIANVS, ſuſcipe floſculos
Sinceritatis, conſpice floridos
Semper Clientes qui ſtudemus
Condere corde Tuos favores.
Laudare non eſt exiguus labor,
Magni momenti, quod gerit altior
Mens tertij: Vir iſte viſus
In Sophicis bene ſtare ludis
Obſcura vincis dubia promptiùs
Reſolvis acri dicta peritiâ
Hanc Te putamus vendicatam
Sedibus æthereis habere.
Quapropter iſtinc vivite ſinguli
Quòd contuliſtis munera frontibus
Noſtris, perennes; & ſerenos
Perpetuò ſine Nube Soles

 FÆDVS

FÆDUS
Laureati Triumphi

Post peractum in Arena Literaria certamen
Inter VII. VV. DD. Primæ Laureæ Candidatos,

PROPOSITUM,

II. V. D. THOMÆ MAIKRZYCKI,
Fædus applicatur Sapientiæ
Cum Lemmate
Præmiat optimè.

NOn quæro quantum quæsita scientia præstat?
Condecorat Reges appretiat tenues.
Hi tantùm florent quibus est Sapientia præsens;
Id pariter de Te dicere tento THOMA.
MAIKRZYCKI, Pallas cuî cõtulit inclyta laurum,
Doctum ut cum doctis Fædus inire queas.
Clarior assurges hunc si servabis amorem
Artis, quem dicis pectoris esse tui.
Pulchriùs ornabit vernans tua tempora laurus,
Hujus sis certus cùm vigil esse cupis.
Sint Tibi continui celeresq; ex asse labores
Certifico faustus: nuntio, clarus eris.

III. V. D. CASIMIRO BODURKIEWICZ,
Fædus Catonis insinuatur
Cum Lemmate.
Morum in gravitate virtus.

ALtam ne taceas Musa scientiam,
Quam mores decorant conspicui Viri
Catonis, videas gloria quanta sit
Rebus semper in arduis. Hic

Hic est Vir celebris, dignus adoreâ
Laudis, qui remanet continuò gravis
Est semper placidus, semper amabilis,
Illi laurea competit.
Constantem video Palladis Accolam
Te, mens alta cui docte BODURKIEWICZ:
Sertum quod recipis non sine laudibus
Exornat tua tempora.
Lustrâras alacer multa volumina,
Gemmas docta ceu dogmata colligens;
Hinc est, quòd celeri mente resolvere
Nodos sufficias Sophus.
Virtus dura petit, prælia plurimæ
Vt laudis pretium comparet arduis
Factis, victor ades fas viridem Tibi
Nanciscaris adoream.

IV.V.D. THOMÆ WITKOWSKI,
Fædus Orestis & Piladis offertur Cum Lemmate
In amore tutior fraterno.

QVi lites refugit, non favet usibus
Perversis hominum; sed sequitur viros
Quos concordia semper
Laudat cordis & unio,
Illi dat solium laudis, ut interest
Conservatus amor, nec sine præmio
Famæ Nobilioris
Nexum linquit Oresteum.
Hoc nexu gremio consociatus es
Nostro, fecit amor pectore de Tuo
WITKOWSKI exsiliens quod
Pulchrâ cingere laureâ.

Vt tandem valeas in Sapientium
Consultis, animi dat pretium vigor
Lampas clara Cleanthis
Menti lumina suggerit.
Sic Te Pallas amet, sic nova sedulo
Succedant genio munera, nec Tuos
Fallat justa labores,
Alta ex sede solutio.

V. V. D. PETRO MACHOWSKI,
Fædus Cleanthis accenditur
Cum Lemmate.
In labore vita.

ET labor ingentes animis conferre favores
Non sinit, hic cunctos condecorare solet
Augustus labor, angustus nunquàm solet esse
Ille qui pugnat, victor adest Sapiens.
Hôc tu pugnâsti, nunc doctus sume coronam
Cinge caput, meritum sic decet ire virum.
Complaceat passum vitæ curare secundum
Ecce Cleanthis fax: ecce lucerna favet.
Augustum Nomen portas, augustior Ipse
Assurges, dum non ferre pigebit onus.
Ex humili quàmvis consurges, altiùs acrem
Curres cum duro quando labore viam.

VI. V. D. ANTONIO KOCIKOWSKI,
Fædus Platonis appretiatur,
Cum Lemmate.
Sublimitate sola.

PVlchriùs stellis renitet corona
Inclytæ fronti, superos triones
Mente quæ novit penetrare doctâ
Ingeniôque.

Hinc

Hinc Camænis te ſimilem videri
Orbis affirmat, ſtudiô laboris
Quod cupis Stoæ ſatagisq; rerum,
Abdita nôſſe.
Plus ne ſolertis probitate mentis?
An vales annîs? minùs eſt petendum,
Pallas exortam quia ſponte litem
Docta diremit.
Dum locum frontes Tibi laureatas
Inter inſcripſit, voluitq; Te ipſum
Cæteris ſemper ſimilem videri
Compare vittâ.
Ergo jam laurum capias virentem,
Hæc perennantis decus atq; fulgor
Gloriæ fiet, ſimilisq; fiet
Arrabo famæ.

VII. V. D. JACOBO MARCISZOWSKI,
Fædus libertatis ſtatuitur
Cum Lemmate
Omnibus æqua.

MAgnos hoc recreat delicium Viros
Libertate quod inclyti.
Aurum cedit huic cum pretio decus
Vt primum capiat locum.
Semper Magnificus non popularis eſt
Liber qui ſibi. Tu venis
Ornatus meritîs, tumquè laboribûs
MARCISZOWSKI, operi Tuo
Debetur pretium quod varijs datur
Vt leges habeant ſuas.
Cingit ſat celebris tempora laurea
Fronti dat ſua præmia,
Præſtant ſigna Tibi munera Palladis
Quòd ſis liber & altior.

Ibis summa petens tramite gloriæ
Sursum; sis nisi pervigil,
Ne frons fronte tua laurea marceat,
Hanc sudore riga crebrô.

I.V.D. ANTONIO STANISLAO
DE GRVSZOW
CZARNEK,
Ejusdem Laureæ Candidato,
AUTHORI OPERIS,
In vim mutui affectûs,
V. D. CASIMIRUS BODURKIEWICZ
Fædus Zenonis acclinat.

Cum Lemmate
In pluribus Author.

GRande decus studij multos virtute favores
Exsuperas nostros, qui tua facta gerunt.
Mitto quòd Patriæ sis natus Filius altô
CZARNKORVM veniens Sãguine Progenies.
Sufficit ad laudem quòd nostrûm prælia primus
Gessisti, vincens dura labore Tuo.
Non est crede mihi virtuti gloria major,
Quàm sic Palladijs corradiare pyris,
Suspicit ingentes laudis generosiùs ignes
Succensi quando lumina magna ferunt.
Sole sub hoc clares CZARNEK, cui munera Pallas
Offert in serto, lumina tanta vides.
Ingeniô docilis, promptus laudabilis atque
Continuus libris, contiguusq; Sophis.
Convenit egregijs factis laus atq; Corona
Cerne coronatus, sæcula mille precor.

Permissu Magnifici Domini
RECTORIS.